Quod autem in principio assumptum est, angulos nimirum ad K *esse rectos, idem & Pappus tanquam jam præcognitum vel* Δεδειγμενον *usurpat in demonstrandâ propos.* 62. *l.* 7. *coll. math. Commentator verò illius* Fed. Commandinus *demonstrationem etiam addere conatus fuit, sed pro reliquâ suâ solertiâ satis quidem oscitanter. Ubi enim centrijugam rectam* LM (*vide ejus Diagramma*) *transire docet ex* 12. *l.* 3. *Eucl. per* E *punctum circulo utrique commune, tacitè & quasi precariò supponit, in eodem illo puncto* E *non sectionem fieri, sed tactum solummodò circulorum. Id verò præcipuum erat, nec sine demonstratione transmittendum: quippe quo concesso, vel per* 102. *l.* 7. *Pappi, vel per coæqualitatem angulorum* LKE, EFM *cum verticalibus ad* E, *universa demonstratio absolvi facillimè possit. Nam bisectione illâ, quam parat, rectarum* KE, EF *per demissa* LN, MO *perpendicula, nisi ad prolixitatem, hîc quidem nihil est opus. Immò vel hoc etiam paralogismi argumentum est, quòd unius ἐκ τῆ ἀναγκαίως ὑποτεθέντων nusquam in demonstratione vestigium appareat. Angulorum enim super* AB *circa* AD *consistentium, quos in Ecthesi rectos esse supposuerat, postea ne mentionem quidem injicit. Legitima autem omnis Demonstratio singulis suis Suppositis (nisi quid redundet) necessariò indiget. Cæterùm condonari hæc facilè poterunt Commentatori aliàs solertissimo, & de universa Matheſi quàm optimè merito: propositumque Lemmation breviter demonstrari hoc modo.*

Rectæ

Digitized by Google